

1.
2.
3.
4.
5.
6.



0147.

1776, 22.

DE
MODO COERCENDI
FVRTA ET STELLIONATVS
IN REBVS MERCATORIIS.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XX. APRIL. ANNO MDCCCLXXVI.

DISPVTA T

AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS MAELER

PLAVIENSIS.

LIP S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

957.

DE
MODO CORRENDI
PARTA ET STIPULATIO AVVS
PAREVS MERCATORIS
MARTINVS ICTORVM GRABVS GRABIA
CHRISTIANO HENR. LEVING
IN AVBITOIO IANIDIO
DISPVA
CHRISTIANVS HANDEL
LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGEFELDER



V I R O
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
ET CONSVLTISSIMO
IOANNI GODOFREDO
NEVMANNO
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI
IN SVPREMA CVRIA PROVINCIALI ET CONSISTORIO
ADVOCATO, FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS IVSTITIARIO



VITÆ

REGIÆ PRAESIDIUM AMPLISSIMO

ET CONVELESCENTIAE

IOHANNI GODOFREDO

NEVMANNO

PHYSICIS ET ANATOMIAE

PROFESSORI ET OBSERVATORIO

PHYSICIS ET ANATOMIAE

PHYSICIS ET ANATOMIAE



VIRO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
ATQVE CONSULTISSIMO
IOANNI GODOFREDO
SIEBERO
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI
HEREDITARIO IN PLAVSIG VT ET IN SVPREMA CVRIA
PROVINCIALI ET CONSISTORIO ADVOCATO
ORDINARIO, VNIVERSITATIS LIPSIENSIS
PRAEFECTVRAE IVSTITIARIO



VITIO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

ATQUE CONSULENTISSIMO

IOHANNI GODOFREDO

STRIBERO

IVRIS. VTRIVSQVE DOCTORI

RENDITANO IN HANNO ET IN SERRA CAPA

PROVINCIAE ET CONSULATORI ADVOCATO

ORDINIS CIVITATIS SERRAE

TRAECTATVS DE VITIIS



PATRONIS OPTIMIS SVIS

OMNI QVA PAR EST PIETATE

COLENDIS

HOCCE
QVALECVNQVE STVDIORVM SPECIMEN
IN
GRATAE MENTIS SIGNIFICATIONEM
ATQVE
OBSERVANTIAE DOCUMENTVM

SACRVM ESSE VOLVIT
AVCTOR ET RESPONDENS
IOANNES CHRISTIANVS MAELER.

V I R O
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,
NEC NON CONSULTISSIMO,
IOANNI FRIDERICO
WEHNERO
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE PRAEFECTVRAE
PLAVIENSIS PRAEFECTO,

VIRQ

EXCELSISSIMO

REGI CONSILIARIO

JOHANNI FERDINANDO

WERNER

FRANCO





DE
MODO COERCENDI
FVRTA ET STELLIONATVS
IN REBVS MERCATORIIS

§. I.

Miror potius, quam vt cum WIESANDIO,
Viro Ill.^a) laudarem, (quod tamen pace tanti vi-
ri dixerim) Romanos Mercurium negotiatorem
diuino cultu honorasse, collegiumque mercatorum merca-
riale instituisse, ex quo patet, quanti commercia fe-
cere. Quis enim ignorat huius Mercurii tetram imaginem
consuetudinis atque vitae, quam poetae nonnulli nobis ex-

A 2

posue-

a) in Diss. de ratione impetrandi privilegia nundinarum solemnium
pag. 6.



posuerunt. Vbique ferme is, versutus, obscurus, astutus, malitiosus, callidus, veterator et fauer ab illis depictus est. Sic intelligimus etiam ex eorundem scriptis, illum Mercurium, furandi scientia inter omnes, quotquot sunt ac fuere fures, excelluisse, et hinc inde furum Antesignanum atque Deum fuisse. Vnicum tantum exemplum apud OVIDIUM^{b)} demonstrat huius rei veritatem. Nulla fraus equidem callidior et vafrior excogitari potuisset, illa, quae ab eo, in Battum concepta. Hinc arbitror, illa instituta et cultum negotiatoribus Romanis non esse honori. Absit, vt hoc modo mercatores criminis furti accusarem. Hoc tamen volo, in rebus mercatoriis dolum, perfidiam, auaritiam et nefandam libidinem vehementius regnare, ac frequentius occurrere, quam in aliis. Itaque non amplius miror, tale Numen, eodem ingenio praeditum, a negotiatoribus Romanis arti suae praefectum esse. Hoc tamen singulare quid est, quod fatum natiuitatis istius Mercurii, fato initii mercaturae, antiquiori aetate in Germania stabilitae, simillimum videtur. Nam ille Mercurius, vt tradunt, eo die, quo natus est, boues Admeti Regis abegit, custode Apolline, cui, dum de furto querebatur, sagittas, quas intentabat, subripuit. Contra, iam incunabilis quasi, negotiorum Germanorum nostrorum, Reges Francorum, qui omnes praecipue mercaturae augendae valde studuerunt, immodicum, immo saepius nefandam mercatorum quaestum, tunc temporis legibus coercere oportebat. Probant ea, quae in Capitularibus Regum Francorum^{c)} eius causa religiose sancita sunt, et quidem his verbis: *placuit, vt admoceantur omnes fideles, qui negotiis aut mercationibus re-*
rum

^{b)} in *Metamorph. Lib. III. Fab. XI.*

^{c)} *Lib. VI. c. 299. in Corp. I. G. edit. PETRI GEORGISCH pag. 2572.*



rum inuigilant, ut non plus terrena lucra, quam vitam accipiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis, quam de animae suae salute cogitat, valde a via veritatis aberrat, et iuxta quendam sapientem, in vita sua perdit intima —. Quae consilia autem non sine ratione, et praemeditato animo tanquam, aperta esse, ex eo apparere mihi videtur, quod in alio loco dictorum Capit. ^{d)} iustorum ponderum et mensurarum vsus mercatoribus serio praecipitur. Haec vitia, quibus iam tunc temporis animi Germanorum imbuti, procul dubio effecit commixtio eorum, cum exoticis gentibus, et talibus quidem, de quibus iam CICERO ^{e)} aetate sua querebatur, dum ait: *Carthaginenses fraudulentis et mendaces, non genere, sed natura loci, quod propter portus suos multis et variis mercatorum et aduenarum sermonibus ad studium fallendi, studio quaestus vocabantur;* et alio loco refert: *Poenos mercatura et mercibus suis auaritiam, magnificentiam et inexplebiles cupiditates omnium rerum supportasse.*

§. II.

Hinc inde quorundam eruditorum opiniones saepius valde miratus sum, qui nimirum statuunt; sine commerciis genus humanum nedum rempublicam consistere posse, porro: mercaturam efficere; ut ciuitates, quibus ob sterilitatem agri omniumque fere rerum inopiam pereundum esset, rebus necessariis aequae, ac ad vitae suauitatem atque elegantiam pertinentibus abundent, ac denique, ut vno quasi verbo omnia exprimam, illam rerum gerendarum neruum habendum esse; quid? sit insuper mercatura quintum elementum, sine quo mundus hic viuere nequeat, ut BALDVS ^{f)} ille pater, somniando fortasse, imaginatus.

A 3

Quae

d) *Lib. I. c. 74.*e) *in Orat. 13. de lege agraria contra Rallum habitis.*f) *in Conc. 384. n. 4. Vol. I.*



Quae omnia itaque si mercatura efficere potest, quid tunc tibi agriculturae beneficae agendum? In exilium fortasse? Non ita! Tibi potius adsunt principes, qui vberiore et maiorem vilitatem tuam intelligunt ac perspiciunt. Audiamus igitur CATHARINAM^{g)}, Imperatricem Russorum illam MAGNAM, quae diuinis tanquam verbis, gloria ac praedicatione te effert, dum inquit: *Es können weder geschickte Handwerker, noch eine recht gegründete Handlung da seyn, wo der Ackerbau verabsäumt, oder nicht mit Eifer getrieben wird —. Der Ackerbau ist die erste und vornehmste Arbeit, worzu die Menschen müssen aufgemuntert werden.* — Equidem nemo huius effati Imperatorii veritatem in dubium vocabit. Eorum sententiam itaque, qua mercatura tanquam medium proximum salutis reipublicae esse statuitur, amplecti haud possum. Mihi potius CATHARINAE AVGVSTISSIMAE^{h)} assentiendum est, quae hac in re multo verius et sanae rationi conuenientius iudicauit. Quaerit ipsa nempe in locupletandis ciuium aeriis, columine reipublicae conseruando primario: curam, ad augendum ciuium numerum adhibendam, et secundario: in adiuuandis fauendis-que variis artibus, et in hisce praecipue, rei agresti studendum esse.

§. III.

Ex quibus itaque clarum est, quam agricultura nobis necessaria sit, et a ciuibus in ea primariam curam esse adhibendam. Et hoc non sine graui causa. Nam incredibile dictu est, et docet diligens historiae studium, euincit quotidiana experientia, ac demonstrat terrae natura ipsa, quanta vis sit in optima terrae cultura ad vitam, honesta ratione

g) CATHARIN. II. *Instruction zu Verfertigung eines neuen Gesetzbuches*, §. 294. 299. sequ.
h) *l. c.* §. 603. - 606.



felicissime transigendam. Ex eadem potissimum generis
humani diuitiae, nempe virtus, contentus animus, huma-
nitas et similia parari possunt. Hinc iam COLVMELLAⁱ⁾
aetate sua animaduvertebat: *sola res rustica, quae sine dubio
proxima et quasi consanguinea sapientiae est; et CICERO^{k)}
omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura
melius, nihil uberius, nihil dulcius. nihil homine, nihil libero di-
gnius.* Quibus etiam verba egregia FRANCISCI GRI-
MALDI^{l)} addere licet, qui de agricultura ita canit:

Fructibus e patriae primum ditescere terrae

Cura sit, haec ad opes ianua prima patet.

Scilicet hae certo redeuntes orbe per annum,

Sunt minus instabili munera fixa loco.

Hac lege quidem, sententiae WILKII^{m)}, Viri Ill. ad-
sentire possum, si nempe ad haec benigna naturae
munera accederet industria hominum, cum mercatura
coniuncta, tunc rempublicam multo locupletiolem reddi
posse. Quod autem sine commercio populum vix locuple-
taret agricultura, nego ac pernego. Omnia tamen, quae
ea in re sentio, iamiam dixit pro me Conf. PRAESESⁿ⁾,
quemque, quoad vixero, studiose nunquam non venera-
bor, et quem stare ab hisce partibus tanto magis lae-
tor, quanto certius rationem meam iudicium tanti viri confir-
mat. Optarem tantum, vt nostrae scriptiunculae angustia
permitteret, illius argumenta firmissima, quae nobis in va-
riis differtationibus exhibuit, hic transcribere. Interim
tamen

i) de re rustica. in praef.

k) de Offic. Lib. 1.

l) in libro de vita oeconomica, pag. 71.

m) in prolus. artium et operarum praesidium mercatura, p. 5.

n) in dissert. I. de usu iuris naturalis in causis commerciorum diiudican-
dis, II. de iure nundinarum hebdomad. adiumento mercaturae, maxi-
me oeconomicae, III. de Nobilitate non mercatorum.



tamen non possum non monere ea, quae autor anonymus ^{o)}, ipse Anglus quidam, de studio tam assiduo mercaturae sentit. Haud quaerit is causas caritatis annonae et aliorum eduliorum in negligentia studii mercaturae, vel in messibus tenuibus ac sterilitate agrorum, quae, neglecto illo mercaturae officio, efficeretur, sed in vitae commodioris, politioris, delicatioris et luxurici popularium suorum studio. Et profecto recte atque ex vero. Eorundem vitiorum etiam B A V E R V S ^{p)}, Vir Ill., nostrates accusat, et ipsorum deprauatos mores valde dolet, dum ait: *Ohnfehlbar aber würde dem Laster der Sieg über die Tugend weit feltner gelingen, wenn es nicht durch die immer höher ansteigenden, oder wenigstens davor allgemein geachteten Bedürfnisse unterstützt würde* —. Atque efnne alia causa, quae horum necessariorum viliumque species falsas cognoscere et intelligere nos docuit, quam assiduum mercaturae studium? Testimonium nobis suppeditat vitae rationis et status historia, veterum Germanorum, quam Caesar et Tacitus tradiderunt.

§. IV.

Ex hic omnibus itaque facile patet, quantum absit, vt mercatura sola praecipuum ciuitatum praesidium sit, et felicioram vitam plane efficiat. Nolo tamen ideo mercaturam ipsam taxare: sed eius abusum, nempe luxuriam, auaritiam et alias cupiditates nefandas illam plerumque concomitantes, valde reprobato. Absit igitur, vt id agendum esset

o) cuius libellus elegantissimus in vernaculam linguam transuersus, sub rubro: *Versuch von den Ursachen des gegenwärtigen hohen Preises der Lebensmittel*, Leipz. 1776. 8.

p) in praef. ad libell. D. THYMI, Icti, cuius ipscriptio est: *Frey mütige und practische Gedanken über die Gebrechen der Justiz und deren Verbesserung*, Leipz. 1769. 8.



esset, ut illa, quam extrema commerciorum pars, (pro qua nempe ea hodie habetur) veluti in exilium agatur. Est ea potius iam in rebus publicis sic ordinatis atque ingenio nostro, moratori vitae cultu nimirum et moribus hodiernis maxime necessaria. Igitur ea, ut quisque facile mihi dabit, excogitatis legibus sapientibus, ita temperanda, ne ipsa florente, cupiditates nefandae luxuriesque gliscant in reipublicae perniciem. Nam ex iisdem vitiis, varia furta vafra, variae imposturae et collusiones descendunt. Hinc inde fit, ut haec crimina commemorata, quotidie partim inter mercatores ipsos, partim vero et frequentius inter eorum famulos aliosque homines mercede conductos, praecipue occurrant, ita, ut saepius de his eadem dicerentur, quae HORATIUS⁹⁾ de auaro quodam canit:

— — — pulchra Lauerna
Da mihi fallere, da iustum sanctumque videri

Noctem peccatis, et fraudibus obiice nubem.

Constituimus itaque de istis hominibus improbis, tunc de eorum furtis et variis fraudibus in genere, et postea, de modo illos coercendi et poenas irrogandi, aliquid disserere, ita haec omnia per hoc thema: *de modo coercendi furta et stellionatus in rebus mercatoriis*, absoluerunt.

§. V.

Commerciorum^{r)} peculiare genus, est mercatura, ut omnibus notum, et quorum finis omni tempore eo tendere debet, ut partim necessitati hominum opem ferant, partim vere ad vitam feliciorum et commodiorem transigendam

9) Lib. I. Epist. 16.

r) Horum definitio et divisiones confer: apud DE GVTSCHMIDIVM Vir. Perill. in Libro I. de favore commerciorum §. II. et L. B. ab HOENTHAL V. Perill. de ambitu politiae eiusque a iustitia discrimine, §. 48-52.



dam multa conferant, ita vt hoc modo ciuitati semper profint. Priori sensu ea commercia, quibus merces manibus nostris, seu arte, seu studio nostro praeparatae, emendo vendendoque distribuuntur, subintelligo et vno quasi nomine mercaturam oeconomicam appello; ea posteriori autem ad haec numero, quibus merces multo apparatu ad artis regulas conquisitae et aliorum manibus factae, collectae, et vndiquaque coaceruatae venum exponuntur lucri maioris quaerendi causa; et artificiosam mercaturam dico. *) Cui itaque mercaturae oeconomicae operam nauant, ii sunt tam homines agros colentes, quam opifices et artifices, de quibus in elegantissima lectuque dignissima dissertatione Viri Perill. ab HOEHENTHAL **) plura inueniuntur, et lectores omnia sapientissime decreta, elegantissimeque habebunt disposita. His praemissis, nunc exponere mihi licet, qualis de iis personis mercaturae artificiosae studentibus, idea mihi sit. Describimus itaque illas, quod sint personae, quae vel locando, vel conducendo, aut alio quouis modo contrahendo, merces pecuniasque ad artis regulas conquisitas lucri maioris gratia, ad ciuitatis salutem augendam, negotiantur. Indifferenter eiusmodi insigniuntur campsores et argentarii, (Banquieres, *Geldwechsler*) vt et mercatores. omnes in specie sic dicti, qui tam per auersionem, quam minutatim, nempe ad vnam, mensuram, pondus et numerum distrahunt, et hi omnes generali nomine germanice vocantur: *Handelsherrn, Kaufleute*. Quibus tamen haud adnumero eos, qui mercantur a mercatoribus ipsis, quod statim vendant. Sordidi enim isti putandi, et nihil proficiunt, nisi admodum

men-

*) Quae ex parte ex PRAESIDIS Conf. diss. iam cit. *de iure nandinar. hebdomadal.* &c. Cap. 1. desumfi.

**) in cit. diss. Cap. III. tot.



mentiantur, vti CICERO ^{v)} vere dicit. Sunt etiam potius ii, qui post illos homines malitiosos locum proximum obtinent, de quibus nunc mihi latius dicendum erit.

§. VI.

Tales malitiosi homines nimirum sunt potissimum in numero eorum, qui mercatoribus in negotiis quotidie peragendis suis, ad subleuandos varios labores opem ferunt. Verum enim vero operam procul dubio omnem perditurus esset, si in eorum officiis, rebus gerendis prolixè et anxie describendis euoluendisque inhaererem, cum nihil obscurum, ambiguum aut retrusum, sed rem leuem, claram, omnibusque cognitam, in se comprehendat. Ecquis enim est, qui ignorat, illos mercatores, institores, nominatores, seu inspectores, (*Buchhalter*) ministros seu famulos, tirones, (*Kaufmannsdienner und Pursche*) procuratores, (*Spéditeurs*) et proxenetas et sensales, (*Sensale, Mæckler*, qui vulgo etiam ad classem mercatorum superiorum referuntur) porro: aurigas, eorumque procuratores, (*Schaffner*) famulos conductitios vel mercenarios? (*Markthelfer*) Iam constat inter omnes, quanta diligentia, cura, industria, labores impensaeque mercatoribus sint, antequam quid lucri tantum ii capere possunt. Igitur eisdem ad opem in negotiis suis peragendis ferendam, varii homines necessarij sunt.

B 2

Cum

v) de Offic. Lib. I. c. 42.

Hinc sane sacra profanis miscuerunt BENEVENTVS STRACHA in tract. de mercat. part. i. n. 4. dum mercatorem ita describit: quod sit persona priuata, quae negotiationum exercendarum quaeslusque faciendi causa frequenter merces emat, vendat, permutet, venum exponat, exaggeret et nonnunquam leuiter iuret, aliisque imponat; et KLOCKIUS in Tract. de aerario lib. II. c. 20. his verbis i mercatores sunt, qui plerumque, quod emunt, carius et supra sortem distrabunt, egregie mentiri, peierare, fraudare et imponere norunt, et plenius aequo laudant venales, quas extrudere volunt, merces.



Cum autem ob has commemoratas difficultates assiduas, fieri non possit, vt mercatores illud COLVPELLAE ^{w)} monitum, omni tempore sequerentur, vel etiam illi domino apud PHAEDRVM ^{x)} similes esse possent, sed potius ii omne ferme patrimonium suum, tam pecuniam ipsam, quam res saepius pretiosissimas in illorum fidem, committere debent; sequitur etiam, vt eos, praecipuam fidem fiduciamque in illas personas supra dictas, collocare oporteat; et igitur maxima securitas interna necessaria sit. Quemadmodum autem haec fiducia tam necessaria, homines improbos magis ad fidem frangendam, quam sedulo praestandam, saepius adlicet, ita, vt ipsi raro erubescant, furta, defraudationes et imposturas nefandas committere. ^{y)} Ita etiam prudentia legislatoria sapientissimis legibus suadere debet, effectum iri, vt tales homines ab omnibus vitiis abstineant, et sic furta stellionatus quicumque, duris poenis coercentur.

§. VII.

Descripsimus supra (§. V.) mercatores personas esse, qui merces pecuniasque diuersis modis, ad artis regulas conquisitas lucri maioris causa ad ciuitatis salutem augendam negotiantur; ex quo facile intelligi potest, duplicem finem

^{w)} de re rustica Lib. III. c. ult. ubi ita ait: Quocumque domini praesentis oculi frequenter accessere, in ea parte maiorem in modum fructus exuberat. —

^{x)} Lib. II. Fab. 8 — „qui oculos centum habet, si venerit, —

^{y)} Quae omnia Serenis: Legislator Sax. in Mand. de rebus sibi conceditis, de anno 1767. §. 5. elegantissime exprimit. Hinc etiam LEYSER in Med. ad D. Spec. 537. n. 20: lenitatem poenatum nimiam valde reprobatur, dum inquit: — At ins commune — dum perfidios bus mitius punit, saluti et securitati publicae non satis consulit. Si hanc speciem, gratis coerceri oportebat homines, quorum fidem sequi necesse est. Nec iniuria illis fit. Fures enim simplex crimine, at hi duplex committunt; dum rem alienam auferunt, et fidem datam frangunt.



finem in illis considerandum esse, primum lucrum videlicet seu quaestum, et quidem maius; alterum ad civitatis salutem augendam. Iam est nobis hic de priori aliquid differere, propositum, de posteriori contra infra commodior locus erit. Dicitur lucrum omne augmentum fortunarum nostrarum sine bonorum externorum, quod per negotia nostra nobis acquiritur. At quia, quod plerumque accidit, spectamus, plerumque vero accidit, ut spes de lucro capiendo raro falleret mercatores. Nam hi in negotiationibus suis, non semper inconsulte aleam adeunt, sed potius perpenso iudicio, difficultates obstantes et alias circumstantias ipsis diiudicantibus, antequam periculum faciunt. Hinc inde lucri spes non omnino incerta semper habenda est. Itaque in rebus mercatoris oblati defraudatisque, non solum damnum verum et praesens ex eo mercatoribus ortum, sed et etiam futurum existimandum; ideoque tam damni ex cessatione rerum suarum orti, quam lucri ob cessationem cessantis, rationem potissimum habendam esse, haud temere arbitror. Est hic eadem ratio, quam in constituto communi rerum negotiorum pretio. GROTIUS ²⁾ exhibuit: *in communi autem illo pretio, inquit, ratio haberi solet laborum et expensarum, quas mercatores faciunt: soletque subito quoque mutari ex copia et inopia eumentium, pecuniae, mercium. Caeterum possunt et quaedam esse rei accidentia aestimabilia, ob quae res licite supra aut infra commune pretium ematur vendaturue, puta ob damnum consequens, lucrum cessans effectum peculiarem, aut se in gratiam alterius res vendatur ematurue alioqui non emenda aut vendenda; quae ipsa accidentia ei, cum quo agitur, indicanda sunt. Eius quoque damni aut lucri cessantis ratio haberi potest, quod ex pretii solutione dilata aut anticipata nascitur.*

B 3

Ex

²⁾ De Iure B. et P., Lib. II. cap. 12, §. 16.



Ex his facile intelligi potest, quantum damnum mercatoribus nascitur, quod ex rerum suarum cessatione inopinata sentiunt, dum eas ad negotiandum necessarias habent, iisdem indigere patiuntur. Et omnino illis cessatio inopinata est, cum merces pecuniaeque ipsis inuitis et inscientibus, oblatae vel defraudatae sint.

§. VIII.

Cum autem mercatores ad reipublicae salutem augendam negotientur; (§. V.) sequitur etiam, ut illorum salus, cum huius salute, arte cohaereat. Cui saluti vero securitatem illam, tam proximam et tanquam consanguineam esse, mecum omnes procul dubio consentient. Nouimus nos, omnes securitatem esse eum statum, in quo omnis periculi idea euanescit. Est ea, vel externa, vel interna. Illa, quando ciues intuitu exterorum securi ac tranquilli praestantur, si nempe princeps hostium irruentium vim arceat, atque rempublicam reddit securam; ^{a)} haec autem quando ciues a ciuibus non laeduntur. Nunc est proposito nostro non conueniens de priori differere, sed potius de posteriori. Ex superioribus iam clare apparet, quam necesse sit, ut ob hanc securitatem internam, praecipue etiam mercaturae aequae, ac reipublicae sapientissime consulant legislatores, et utramque defendant, ita ut reprimantur omnes difficultates, periculaque, quibus mercatura assidue ferme exposita est, et hoc modo, omnes personae operam eius nauantes, negotia sua suscipiant ac suscepta conficiant frequenter. Iamiam
etiam

a) Prae aliis scriptis doctissimis de hac agentibus, imprimis legi merentur V. Perill. L. B. de GUTSCHMIDT *Lib. iam cit. §. 20-23.* V. III. BOEHMERI *diff. de iure principis libertat. Commer. restringendi in utilitat. subdit.* BEKHOFFII *Comment. different. iur. nat. et gentium in libertate navigationis commerc. causa institutae.* SVRLANDII *diff. de iure commerc. in bello.*



etiam in ea re L. B. de GUTSCHMID V. Perill. ^{b)} legem sapientissimam hoc in modo suavit: — *ne dent vi iniustae impunitatem malisue fraudibus latebras, sed efficiant, ut securitas commerciis certa rerum suarum possessio cuique constet.* Hanc securitatem autem nullo alio modo mercaturae reddi posse; opinor, nisi antea emendetur morum peruersitas moderna, et exacerbentur poenae, quibus hominum improborum cupiditates nefandae, tunc opprimuntur. Neque aliae causae huius morum peruersitatis in talibus fraudulentis ac deprauatis hominibus obuientis sunt, quam luxus, inertia, nimia arrogantia, quae nostris temporibus eorum animos tanquam occuparunt. Satis iamiam et saepius hac de re dictitatum et consultatum est ab eruditis. ^{c)} Quare operae pretium non esse puto, hic plura commemorare. Hoc tamen non possum non monere, luxuriam inprimis, nisi plane opprimi posset, legibus saltem poenalibus, valde restringendam esse. ^{d)} Non ignoro quidem operam legis sumtuariae ferendae, pergrauem rationem esse. Interim tamen

b) in diff. mercaturae legum ferendarum auxilio iuuandae ratio salutaris §. 2.

c) Praeter alia scripta lectu dignissimae sunt: BAVERI V. III. Diff. *binne de emendando iure criminali*, et BECCARIAE, Itali cuiusdam, Liber, qui in linguam germanicam translatus sub rubro: *Von den Verbrechen und Strafen* §. 25. et 27.

d) Multum pro et contra luxuriam ab eruditis iam disputatum est. Inprimis autem autor anonymus quidam in opere suo: *de fabula apum*, defensionem vitiorum suae, quae haec reipublicae haud nocitura esse, contendit exemplum luxus adiunxit, quo, artes perfectiores et elegantiores redderentur, ac diuitiae ciuitatum abundantiores auergerentur; quem tamen Anglus et Italus quidam optime refutarunt, quorum opera in linguam vernaculam translata, de quibus alterum hac inscriptione: JAMES BEATTIE'S *Versuch über die Natur und Unveränderlichkeit der Wahrheit etc.* (p. 327 seq.) et alterum: PILATI *Wirklichkeit des natürlichen Gesetzes* (vers. Weisinger p. 307.) nobis editum.



men hoc plane non negligendum opinor, maxime in iis hominibus, qui luxuriosae vitae et arrogantiae nimius dediti, quibus ideoque illud HORATII solatium

*Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;*

valde displicet.

§. IX.

Quod negotium autem nullo alio modo perfici posse, opinor, quam exasperandis poenis. Quum enim homines plerumque eiusdem indolis sint, ut, dum vident meliora, probantque, deteriora nihilominus sequantur; facile quisque mihi dabit, eius rei causam, in voluntate eorum quaerendam esse. Plurima quidam, philosophi quidam, intellectui tribuunt; nescio autem an recte? Quamquam plane negare, nemo futurus sit, veritatis cognitionem ad illum potissimum pertinere non videri, et velle nemo non posse, nisi antea cogitata; interim tamen voluntatis vires non minus, quem intellectus, necessariae sunt, et nec intellectus hic, viribus suis recte uti, neque ad veritatis cognitionem sine voluntate potest penetrare. Hinc harum facultatum nexus in homine arctissimus est, actionesque coniunctae, ita ut aliquis intellectus solius ope, neglecta voluntatis cultura ad veritatem, uti iam dictum est, assequendam pervenire haud possit. Idem iam ex natura veritatis apparet, quae in conveniencia cognitionis et rei cogitatae consistit. Nunc autem multum attentionis requiritur, antequam quis hanc veritatis cognitionem assequi potest, quod veritatum in genere, paucissimae eius indolis sint, ut evidentia sua quemque statim ad assensum cogant. Nam, modo error, modo ignorantia, modo etiam dubitatio (quae et ipsa ex parte ignorantia est,) nobis obstat, ex quibus variae species certitudinis veritatum nascuntur, quae omnes perspicue

ac



ac vere discernere, maxima attentione opus habent; itaque manifestum est, haec omnia non ab intellectu solo, sed a voluntate pendere, et illum tantum quasi instrumentum esse veritatis cognoscendae. Hoc insuper intelligi potest ex natura attentionis ipsa, quae est virium animi ad aliquam rem directio, quae directio autem nullo alio modo fieri potest, quam voluntate. Hinc libertas, i. e. facultas eligendi, quae sola verum et vnicum omnis imputationis moralis fundamentum est. Hinc denique iustitia poenarum.

§. X.

Cum autem ex antecedentibus appareat, intellectus usum voluntati subiectum esse; sequitur etiam, quod haec voluntas sola sit praecipuus fons omnium actionum et omissionum humanarum, ideoque eius affectus seu impetus externis legibus dirigi vel supprimi possint. Nunc autem euique homini metus ^{e)} mali eminentis, et spes boni consequendi, quibus voluntas eius flectitur et impetus affectuum freno quasi et vinculo cohibentur et reprimuntur, inest. Iidem praecipui duo affectus voluntatem regnant, nos in agendo mediaque inueniendo alacriores reddunt, animos nostros erigunt atque confirmant, ne, malis praesentibus, despondeant; imo spes est vitae anchora, et metus securitatis nostrae clypeus ^{f)}, haec ambo nos disponunt, quo rite mala effugiamus

e) Quocum tamen timor haud confundendus est. Nam is affectus, qui ex malo futuro, quod imminet, sed adhuc auertere seu differre nos posse putamus, manat, metus vocatur, timor contra exoritur, si malum tanquam adpropinquans repraesentamus.

f) Hinc HORATIUS in Lib. I. Sat. III. vere dicit:
*Iura inuenta metu iniusti favere necesse est
 Tempora, si fastos velis evolvere mundi.*



mus^g), spes enim et metus effecerunt, vt ab hominibus ciuitates constitutae sint^h). Quid? quod etiam adhuc aequae quam olim spe et metu reipublicae salus promoueturⁱ), spe denique praemii et metu poenae ciues in officiis praestandis continentur, et a turbanda reipublicae tranquillitate detinentur^k). Cum igitur, vt ex antecedentibus clarum, cuique metus mali innatus, poena contra malum passionis fit, quod quis ex legis dispositione ob eius violationem subire tenetur, communis emendationis et vtilitatis causa, sequitur etiam, vt quicumque, quantum fieri potest, illam timeat, et pro viribus contendat, ne quid committeret in aliorum iniuriam. Iam vero est metus periculo seu malo semper aequalissimus^l), ita eo magis hoc minatur, tanto illum

g) Quod etiam D. AVGVSTINVS ipse testatur in *lib. de ciuit. Dei, c. 14*, his verbis: *non est quaerendum vtrum - quis timeat, sed quare? - enim - timere periclitanti, ne pereat, nullus sanae mentis vel considerationis reprehendatur.*

h) conf. GRIERNERI *Iurisprud. Natur. Lib. IV. Cap. 8. n. 2.* vbi autor ita ait: *Causa praecipua ciuitatum constituendarum metus fuit, et desiderium securitatis, et CICERO de Offic. Lib. II. c. 7. - Atque etiam subiiciunt se homines imperio alterius et potestati, pluribus de causis. Ducuntur enim - aut spe, sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis promissionisque capri.*

i) Hinc POPE (in versione KRETSCHII sub infer. *Versuch von dem Menschen*) in *Epist. II.* eleganter canit:

*Nimm weg die Leidenschaft, wo bleibt der Tugend Stütze?
Welch eine reife Frucht an Erbarkeit und Witze
Erwächst aus der Furcht, aus Neid.*

k) GRIERNER *l. c. §. 1.* *Poenae in statu naturali non dantur, — In ciuitate iis carere non possumus, cum praecipua fere causa, cur ciuitates constitutae sunt, ea fuerit, vt securitate poenae improbi in officio retinerentur.*

l) Fingo, ni fallor, illum instinctum metus, nempe aequae ac fere corpus aliquod motum, legibus physicis agere. Notum est, omne corpus, in quod aliud agit, huius reactioni reluctari aequali actione. Hinc, cum hoc motum sit, continuando motui fuder, vsque resistentiam sibi occurrentem, quae vi motus illius aequalis est: **v. c.** Vis corporis moti A sit = §: Vis resistentiae B autem = 3, ita



illum sentitur, quod nulla probatione indiget, contra autem quo acerbior poena, eo imminentius malum, et si hoc, eo vehementius desiderium, illam auertendi. Itaque etiam omnino fieri potest, ut exasperandae poenae homines praefractos a delinquendo abstertere polleant. Quae etiam omnia insuper experientia nos edocet. Sic, ut vnum tantum exemplar hic adducam, idem in hodierno statu militari aperte reperimus. Estne alia causa concinnitatis institutionum egregiarum, disciplinae conuenientissimae, et obsequii paratissimi militum, quam metus acerbarum poenarum, celeritasque eas irrogandi?

§. XI.

Hinc haud mouent ea, quae BECCARIA ^{m)} et alii aequitatis defensores pro lenitate poenarum disputant, seueritatem earum efficere, ut ad euitandam vnius delicti poenam plura committerentur. Mihi potius plane persuasum habeo, mites poenas homines perfractos a delinquendo haud abstertere, sed obstinatiores reddere, ut aliquando ad delinquendum potius inuitant. Ecquis non ignoscat exemplum illud memoria dignum de *L. Neratio* apud GELLIVM ⁿ⁾? Confirmant potius leges sententiam meam expressis verbis: *Congruit, ut VLPIANVS* ^{o)} ait, *bono et graui Praesidi curare, ut pacata atque quieta prouincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si solite agat, ut malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat: nam fures*

C 2

con-

ita $8 - 3 = 5$, ergo $A > B = 5$; sequitur ita, ut A non reuertatur B.; altera parte vero, cum sit $A = B$, tunc A, reuertatur B. et hoc modo a quietem reducitur. Itaque loco vis corporis moti A., metus, loco vis resistentiae B, autem periculum imminens seu malum poni potest.

m) *I. c. §. 25.*

n) *Noct. Attic. c. 1.*

o) *L. 13. pr. D. de Off. praef.*



conquirere debet, et prout quisque deliquerit, meum animaduverte-
re, receptores eorum coercere. Quam minus autem pacata at-
que queta respublica ac mercatura sit, si vel impune deli-
cta iam commemorata a furibus stellionibusque supra deli-
neatis, impetrari possint, vel mitiori poena tantum legisla-
tores, eos afficerent, non est, quod moneam, cum ex
deductis iam manifeste appareat. Igitur necesse est, ut le-
gislatores in furibus et stellionibus assidue conquirendis, poe-
nisque grauioribus constituendis, ut et iis celeriter irrogan-
dis sollicito agant. Etenim ante omnia in quocumque deli-
cto praecipienda est celeritas, poenas irrogandi, ut et hae
illud presso pede sequantur. Nihil equidem fortius animo
delinquentium imprimatur, atque ad detestanda crimina eos
magis impellit, quam si ii eo tempore, quo adhuc delicti
horrore percutiuntur, hoc iustissima certissimaque poena ex-
peritur; interposito vero temporis interuallo decrescit ipsius
criminis atrocitas, et in puniendo eius auctore homines ma-
gis misericordia et indulgentia, quam iustitiae sensu mouen-
tur. Quod etiam BECCARIA^{p)} et alii^{q)} bene obseruant.
Nam ex eadem poenarum irrogandarum cunctatione illa
nimia lenitas, quae homines ad delinquendum magis inui-
tat, quam repellit, oritur.

§. XII.

Cum autem poenam seu malum passionis aliquis ex
legis dispositione ob eius violationem communis emenda-
tionis utilitatisque causa subire teneatur (§. X.); sequitur,
ut in quibuscumque causis obuientibus dispositiones le-
gum strictissime obseruarentur, et emendatio utilitasque pu-
blica sollicito consideretur. Itaque necesse est, ut principes
ad

p) l. c. p. 87. ibique not. kk.

q) CATHAR. II. Instr. iam cit. §. 199. 201. et 221. seq.



ad dispensanda delicta et remittendas poenas raro proni; altera parte autem omnes arbitrariae legum interpretationes cauillationesque improbae doctorum plane restringendae et coercendae sint, ne hoc modo leges ipsae illuderentur, et sic salus publica negligeretur. Inde non est, quod illud tritum iudicis arbitrium, quod partim ex §. 11. I. de iniur. L. 45. D. cod. et L. 92. D. de furt. partim et praecipue ex L. 11. D. Legg. et L. 13. et L. 42. D. de poen. se arripiunt, me moueret. Me tacente illis tamen, praeter alias Ictor. Celeber. ^r) sententias, etiam L. 6. §. 7. L. 13. et L. 19. §. 1. D. de off. Praef. L. 7. D. de Legg. L. 14. C. de poenis vt et c. 2. C. V. q. 5. aperte obstarent. Nolo tamen hoc modo videri, me in poenis infligendis omnibus dlinquentibus cuiuscunque generis, eandem esse scribendam atque irrogandam, approbare. Minime! Hoc tamen valde dubito, quin in iis proportionis mathematicae habenda sit ratio, cum ingeniorum diuersitas, delictorum et poenarum grauitas, aequa lance semper perpendi haud possint; sed potius eorum magnitudinem pro qualitate personae laesae, et e damnis reipublicae datis vnice aestimandam arbitror. Igitur praeter alios ^s) inprimis GRIENERO ^t) verissime dicenti adstipulor: *quales vtro poenae constituendae sint, inquit, arbitrio principis subiacet, ad certas regulas reuocari vix potest; euitanda tamen est nimia lenitas, nimiaque securitas, et publicae omni-*

no

r) Inprimis LEYSER ad D. sp. 535. m. 3. et 20. et IO. VAN DE WATER in Obs. Iur. Rom. Lib. I. c. 3. dum ait: *Quis enim e republica arbitratur, frequentiam delicti suae ab vno. suae a multis nebulonibus commissi efficere, quo iudicis arbitrium in minorem partem sit Etatur. Siccine via aperietur scelestissimae turbae Simonis artificis semper aliorum inbiare bonis, spe mitioris poenae propofita?* —

s) BECCARIA l. c. §. 7. ibique not. 12. et CATHAR. II. Instr. laud. §. 209 - 208.

t) l. c. §. 2.



no imprimis ratio habenda utilitatis. Quibuscum etiam leges v) claris verbis consentiunt. Quae cum ita sint, facile ex iis colligi potest, quo maiorem laesionem, eo grauius delictum, et contra, quo frequentius hoc perpetratum, eo acerbio- rem poenam esse discitandam. Ex quibus omnibus itaque clarum est, exasperationem poenarum non solum sanae rationi, sed etiam legibus scriptis consentaneam esse, vt et per eandem iuuatum iri securitatem.

§. XIII.

Restat nunc, vt exponam, poenas in delinquentes supra delineatos in legibus nostris constitutas. Iure Carolino et Saxonico est furtum rei alienae inuito domino, animo lucrandi facta. Opus autem non est, vt omnes huius criminis species in legibus obuientes hic repeterem, cum eae in omnibus doctorum compendiis prolixè iam traditae sint. Hoc tamen vt obiter moneam, has distinctiones diuersas, quam minimum utilitatis securitati reipublicae praestare mihi videntur. Nam praeter hanc anxiam delictorum qualitarum diuersarum inquisitionem, accedit insuper et efficitur, vt modo Magistratum in inquirendo delicto pigritia, modo incertia, modo cunctatione tempus consumatur, quo tunc euenit, vt vel carceris duritia w), vel etiam diurnitate eius x), poena promerita minuatur, ita, vt hoc modo tales homines acerbissimas poenas merentes, impu-

v) L. 11. et L. 16. D. de poen. arg. L. 14. Cod. eod. CCC. Art. 178. — ist peinlich zu bestrafen. Aber in einem Fall härter denn in dem andern, angesehen Gelegenheit und Gestalt der Sachen. Art 100 — soll er- messen werden der Stand und das Wesen der Person, so gestohlen bar, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag, und die Straf darnach an Leib und Leben urtheilen.

w) CCC. art. 218.

x) S. Reu. HOMMEL in Rhaps. Obs. 100.



impunito nostro in conspectu ambulare, quotidie videmus.
Hinc sententiae HORATII^{y)} illi

Nam de mille fabae modiis cum surripis unum,

Dammum est - - - - -

malem adstipulari, ideoque has ambages omnes, rei mercatoriae valde odiosas, apud nos plene vitari posse, modo sanctiones *Mand. Nouiss. de rebus sibi concreditis* (de quo infra §. XV. seq. fusius dicendi locus erit) obseruarentur, opinor.

§. XIV.

Antequam vero ad indagandas huius criminis modo dicti poenas in legibus constitutas propero, adhuc explicandum erit, quod mihi de illis fraudibus, quae tam frequentius in negotiis mercatorum occurrunt, stellionatu videlicet, videtur. Potest stellionatus hic, carente proprio et particulari nomine, ita describi, quod sit crimen extraordinarium, generale, et in subsidium, quoties speciale nomen deficit, appellatum, quo impostores subdole et malitiosè aliquid alterius fraudandi causa, machinantur^{z)}. Poena huius criminis apud nos etiam arbitraria est, fere vt apud Romanos. Coercetur itaque stellionatus, pro admissorum et personarum conditione, ita tamen, vt maxime damni dati magnitudo respiciatur, ergastulo nempe, opere publico, numellis, carcere et multa. Quae etiam apud nos in re mercatoria in Bancoruptoribus dolosisque decoctoribus applicare posse arbitror, cum hoc ex legibus Elect. Sax. a) clare appareat, vbi in primis ratione mercatorum

ita

y) *Epist. L. I. ep. 16.*

z) *L. 3. §. 1. D. de Stellionatu. cfr. etiam TABOR de crimine stellionatus in eius Oper. Voll II. p. 200. LEYSER ad D. spec. 557. DEUTSCHLAENDER diss. de crimine stellion. sub Viri III. SEGERI praefatio habita.*

a) *in Cod. Aug. P. I. p. 237. et 238. §. 78. Mand. vet. aduersus Bancorupt. de ao. 1724. §. 10. 12. in Cod. Aug. P. II. p. 1174. et Nouiss. de ao. 1766. §. 10. 12. C. A. Cont. p. II. p. 922.*



ita sancitum, vt ii, qui concurrente insigni consilio ereditores defraudarunt, gestatione flaui pilei atque ergastulo vel opere publico, imo si damnum datum C. thaleros superat, remissione non secuta, laqueo sint plectendi.

§. XV.

Venimus nunc ad crimen supra iam dictum, furti in re concredita commissi videlicet. Videbimus itaque qualem poenam in eo legibus hodiernis esse constitutam. Iuris sensu Romani hoc furtum sub nomine criminis residui notum est, et committebatur ab iis, qui pecuniam publicam suos in vsus conuerterant, et apud quos aliquid ex pecunia publica resederat, ^{b)} atque hoc crimine damnati, amplius tertia parte, quam debebat, puniebantur. ^{c)} Iure Carolino et Saxonico Elect. secus. Vtroque iure haud respicitur sola pecunia publica. Est igitur in poena irroganda idem, siue sit res pecuniae interuersa publica, siue priuatorum. Probant hoc verba expressa Constitutionis Criminalis; ^{d)} *welcher mit eines andern Güthern - - zu Schaden handelt - -*. Verba: *mit eines andern &c.* clariora per ea, quae in rubro eiusdem legis ita: *Straf derjenigen, so mit anvertrauter Habe ungetreulich handeln*, disposita reddantur. Ratione poenarum talibus interuersoribus irrogandarum autem hi, secundum eandem legem, cum ceteris furibus, pari passu ambulant. Iure Saxonico contra sententia mea ex *Mand. D. AVGVSTI d. 26 Septbr. 1705.* ^{e)} clarior elucet, vbi in principio his verbis dispositum: — *dass sowohl bey Unserer - - und andern Cassen als privatis in kurzer Zeit viele Tonnen Goldes veruntrauet worden* — et paulo postea: — *dass Unse-*

b) L. 2. et 4. §. 3. et 4. D. ad L. Iul. Pecul.

c) L. 4. §. 5. eod.

d) art. 170.

e) C. A. T. 1. p. 174.



Unsere Cassen oder andere privati, so bestohlen worden — ib. oder ein jeglicher — ; vt et ex Mandato Serenissimi legislatoris Saxonici d. 17 Dec. 1767^f) de hoc crimine publicato: als wird einem jeden, dem fremdes Guth anvertrauet ist, porro: §. 1. -- oder, jeder anderer, so &c. — §. 2. -- oder anderer Bedienter et §. 4. -- oder andere Person veruntrauete — Confirmatur etiam insuper sententia mea V. Illustri WINKLERI^g) graui testimonio. Hinc vt ex antecedentibus apparet, iure patrio nostro etiam ab iis, qui pecunias vel res priuatorum sibi concreditas, interuenerunt, residui crimen committitur, modo ad obseruandum dict. Mand. de anno 1767. iureiurando se obstrinxerunt, et quod obsequendum esse, Serenissimus legislator in laud. Mand. 1767 expresse iussit, alias istius criminis damnatis, poena constituta haud irrogari potest.

§. XVI.

Sed heu conditionem morum nostrorum! Proh sce-
lus! quod ad seruandam fidem iureiurando a legumlatori-
bus nos obstringendi sumus. Hoc tamen esto. Interim au-
tem o si! ne tam multi Nostratum reperirentur, de quibus
saepius vere diceretur:

Non ego iuravi: legi iurantia verba.

Vbi est illa virtus, illa laus, illa gloria nostrorum veterum
Germanorum, quibus TACITVS^h) hos extulit? Forsan
effati illius, i) vt videtur.

— *Nullane in re esse homini cuiquam fidem!*

ea in re legumlatores nostri rationem habuerunt. Heu pie-
tas!

f) C. A. C. P. 1. p. 415.

g) in Edit. BERGERI *Oecon. Iur. Lib. III. Tit. IX. sb. 5. et Tit. XI. sb. 19.*

h) Qui in *Ann. Lib. 13. c. 54.* de illis, nullos mortalium armis, aut FIDEM, ante Germanos esse — tradit. Conf. etiam in *Op. de mor. Germ. Cap. 24.*

i) TERENT. in *And. Act. II. Sc. 5.*



tas! heu prisca fides, Germani! Absit tamen, ut hoc modo alios bonos viros calumniarem. Sed hoc potius obiter tantum monuerim. Dixi administratores rerum conceditarum omnes sec. laud. Mandat. Nouiss. de anno 1767. ad fidem non frangendam, iureiurando obstringendos esse. Hoc facto itaque, tunc pro qualitate residui, quod ipsi in usus suos conuerterunt, ergastulo vel opere publico, modo ad breuem, modo ad longiorem annorum seriem, ita, ut iis neque restitutio, neque etiam remissio profit, plestuntur. Imo etiam iis, qui istius criminis reos in eodem, opitulati sunt, pro modo lucri ex eo capti, poena dicitur. Quae poena etiam est iusta, tali crimini conuenientissima et aspectui aliorum terribilior, quam illa rotarum, laquei gladiique crudelissima. Equidem, qui ad extremum supplicium ducti sunt, ii morte, non cruciatu mortis, populo spectaculum esse videntur, et iisdem condemnatis contra, vita potius est supplicium, et mors solatium. Ideo etiam BECCARIA^{k)} acuti ingenii vir, vere monet, nefas esse sanguinem humanum eodem habere pretio, quam pecuniam. Quocum ergo plene persuasus, superiorum poenarum genera, damnatio videlicet ad opus publicum, triremes, metalla et ergastula, rationi et saluti ciuium consentaniora ac salubriora esse, detestabilibus illis vltimi supplicii modis. Etenim ii, qui ad hos seruiles labores condemnati, non modo in viuis manent, disciplina et institutione corriguntur, sed etiam respublica ex eorum continuis laboribus aliquam capit vilitatem. Denique etiam procul dubio erit, quin illae leges paulo antea dictae, in superioribus personis commemoratis, mercatoribus operas suas locantibus, applicari possint, si modo sanctiones earum, sedulo obseruantur.

^{k)} l. c. §. 19.



Leipzig, Diss., 1776 A-G




f
TA-70L

aus 34 Stek. bisher verkauft

VD
18





147

DE
MODO COERCENDI
FVRTA ET STELLIONATVS
IN REBVS MERCATORIIS.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XX. APRIL. ANNO MDCCCLXXVI.

DISPVAT
AVCTOR
IOANNES CHRISTIANVS MAELER
FLAVIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

1776, 22.

917:

